



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1661**

Quando nam vestes sacræ amittant benedictionem, paragr. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41878**

decumque illa afferantur, si ipsis limitatum id à suis Generalibus non fuerit,

## §. III.

*Quandonam vestes Sacra amittant benedictionem?*

I. **A** Mittunt, quando fiunt ineptæ ad usum sacrificii; ineptæ autem fiunt, a statim atque perdunt figuram, sub qua benedictæ fuerunt. Unde si Manica Albæ separetur ab ipsa Alba, recedet benedictio, quia, sic inepta evasit ad sacrificii usum. Quod si Alba sit ejusmodi, ut eius manicæ globulis, vel funiculis ipsi adnectantur, ut etiam Planeta, si eius pars anterior resticulis cum interiore connectatur; certe per disjunctionem, quando iterum ad usum unietur, non amittet b benedictionem. Ratio

a *Hurr. de sacrif. d. 3. diff. 11. aliq.*

b *Delugo disp de Euch. d. 20. sect. 4. n. 93. & 99. aliq.*

tio est, quia, ut supra *a* de Calice tornatili diximus, remanet eadem vestis.

*Quaedam propria de Cingulo.*

2. **S**I cingulam rumpatur in duas v. gr. partes, amittitne benedictionem? Respondeo. Si remanet utraque pars apta ad cingendum, non amittet, *b* ut constat ex dictis numero primo & ex dicendis infra *c* de Ara consecrata. Si solum una pars apta remanet, hæc sola, *d* propter eandem rationem, benedicta remanebit. poterit tamen pars non apta huic annecti, nam tunc accessorium sequetur principale, & sic totum erit benedictum, sicut contingit, quando vestibus attritis, pars aliqua ad eas reficiendas affuitur. Si denique neutra pars remanet, apta

E 6 ad

*a Suprac. i. §. 5. 2. b Delugo ib. c Infra e. §. 1. num. 12. d Delugo ibidem.*

ad cingendum neutra <sup>a</sup> benedictionem servabit, cum utraque inepta sit ad usum sacrificii.

3. Dices: Sicut Alba, & Planeta resticulis conjungibiles, ad instar Calicis tornatilis, non amittunt benedictionem, ita nec dictæ cinguli partes, quæ, facto nodo, facile conjungi possunt, amittent.

Respondeo in Alba, Planeta, & Calice dictis, benedictio data est, sub illo modo partium separabilium, & iterum conjungibilium, unde, partibus separatis, veluti suspenditur usus benedictionis non amittitur benedictio: at in cingulo quod non fuit, sub illo modo, benedictum, dicere idem, nequam possumus.

4. Scio, quod aliqui, <sup>b</sup> propter magnam facilitatem, qua, facto nodo, conjungi hæ cinguli partes

<sup>a</sup> Delugo ib. & Hurrad. de sacrif. d. 4. diff. 11. alique,

<sup>b</sup> Apud Dian. p. 2. tract. 14. ref. 27. & p. 5. tr. 13. ref. 93.

tes possunt, teneant non indigere  
 nova benedictione; quæ certè opi-  
 nio, saltem propter auctoritatem  
 extrinsecam Doctorum, non est  
 improbabilis Nota autem, a Dia-  
 nam inter hos numerare Ægidium  
 Coninch, qui tamen pro hac opi-  
 nione non stat, eam enim, non tam-  
 quam suam, Ægidius, sed tam-  
 quam, Emmanuelis Sà, profert.  
 Immo contra Ægidium puto, quod  
 neque id Emmanuel dicit. Audi  
 breviter utrumque. *Si cingulum*  
*(ait b Coninch) ita frangatur, ut*  
*neutra pars sufficiat ad cingendum Sa-*  
*cerdotem, amittit benedictionem Secus*  
*si longior pars sufficeret ad cingendum*  
*Aliqui tamen putant, etiam in prima*  
*fractione, licere partibus simul nexis*  
*uti: ita Emmanuel Sà v. Missa n. 12.*  
 Hæc Coninch. Audi Emmanue-  
 lem c *Cingulum*, ait, *fractum potest*  
*necti si pars altera non sufficit.* Hæc  
 E 7 Sà.  
 a *Dian. disp. 2. tr. 14. ref. 57.* b *Co-*  
*ninch. de sacr. q. 83. art. 3. n. 251.* c *Sà*  
*v. Missa n. 12.*

Sà. Vides? Si pars altera non sufficit, ait, (quæ est doctrina à nobis allatum 2.) non vero, si neutra pars sufficit, de quo hic est quaestio.

*Quaedam propria de Stola  
vel Casula.*

5. **S**I Stola, vel Casula duplicata, fiant, facili separatione, duæ, quarum utraque sit apta ad Sacrificium, amittuntne benedictionem? Dico, non amittere, quia illæ vestes sunt totaliter benedictæ; & separatæ, remanent aptæ ad sacrificium sub eadem forma, sub qua fuerunt benedictæ. Confirmatur, ex cingulo, cujus, fractæ duæ partes, aptæ ad cingendum, ambæ retinent benedictionem.

6. Illud; certè approbare non possum, quod aliqui Planetam non benedictam assuunt Planetæ benedictæ & si celebrant; ut nimirum, prætextu, quod illa non benedicta,  
jam

jam, ipso sacrificio, juxta supradicta? *a* benedicatur, possint iterum disfluere & Planeta assuta tanquam benedicta frui. Hoc, inquam non approbo cum *b* Possentino, & *c* Gavanto, qui nullam rationem assignant, posset tamen hæc afferri: Nam vel illa assuta uteris ex intentione sacrificandi in ipsa: & sic mortaliter peccas adhibendo planetam non benedictam: vel illa uteris non ex intentione sacrificandi in ipsa, & tunc non benedicetur, quia benedicatur vestis ex ipso sacrificio, in probabili illa sententia, quando vestis inseruit sacrificio: at non inseruit sacrificio illa, quam ex tua intentione, licet materialiter tecum habeas, sicuti habes ceteras usuales vestes, nullo modo refert ad sacrificium. Confirmatur: nam si Episcopus bene-

*a* *Supra c. 1. §. 5. n. 2.* *b* *Possent. de offic. curat. c. 2. de sacrificio n. 38.*

*c* *Gavant. in Rubr. Miss. p. 4. t. 19. num. 21.*

benedictionem proferret præsentibus duabus Planetis, cum intentione benedicendi hanc, & non illam certè hæc sola benediceretur, non autem illa; pari ergo modo (cum, quod in re nostra facit benedictio, suppleat sacrificium) si ad illam vestem sacrificii benedictionem non refers benedicta remanere non poterit.

*Quid juris, quando una vestis sacramentatur in aliam.*

7. **S**I ex multis v. gr. Amictis immutatis fiat una Alba, & ex multis Scolis itidem immutatis una Planeta: talis Alba, & Planeta indigeretne benedictione? Dico ( immutatis ) nam si mutaretur forma, sub qua benedicta erant, jam amitterent, ex dictis, benedictionem, atque adeo, cerò nova benedictione indigerent; Respondeo quod indigerent, quia ex una parte tales Amicti, & Stolæ numquam



quam habuerunt benedictionem  
Albæ, & Planetæ, & ex alia, per  
illam unionem, nullam benedi-  
ctionem acquisiverunt.

8. Quid si tales Amicti & Stolæ  
iterum dissuerentur, & redirent  
ad pristinam formam, novane be-  
nedictione indigerent? Respon-  
deo, nequaquam indigere, quia,  
cum supponamus, non amisisse  
suam formam, non desierunt esse  
iidem Amicti, & Stolæ, quæ erant  
prius.

9. Quod si ex Stola fiat Mani-  
pulus, & ex Manipulo Stola juxta  
dicta §. 1. num. 2. non est necesse  
ut adhuc novum usum, sicut nec  
deinde, quando forte redirent ad  
suum pristinum, nova benedictio-  
ne benedicantur, quia Stola, &  
Manipulus non sunt diversæ ve-  
stes, solum enim una est brevior,  
alia longior, atque adeo una non  
indiget diversa benedictione ab  
altera.

CAPUT

a *Fag. 1. Eccl. præc. l. 3. c. 23. n. 3.*